



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. An, & quando Lex fundata in præsumptione obliget in foro conscientiæ, vel etiam in externo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cavisse Trident. omne Matrimonium annullans, quod in locis recepti Trident. non est contractum coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus.

§. VI.

An quis ex presumptione vehementibus de gravi crimine condemnari possit, & qualis probatio requiratur ad probandum, quod non est verosimile?

EX solis presumptionibus etiam vehementibus non debet quis de gravi crimine condemnari, uti patet ex *c. Litteras 14. h. t.* quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatae, & luce meridiana clariore, nisi tamen sint urgentissimae presumptiones, aut causa non tam gravis, ad quam juxta proportionem gravitatis vehementiores etiam, & graviores requiruntur, uti colligitur ex *s. 2. & 13. h. t.*

Ad probandum autem, quod non est verosimile, cum presumptio juris pro hoc stet, quod verosimile est, non admittitur quaelibet juris presumptio, nisi communis loci fama, vel alia indicia, aut conjecturae concurrant, & testes fortassis, qui contra verosimilem juris presumptionem testantur, sint personae valde honestae, de quibus nulla est suspicio, quod sint corruptae, aut pejeratae;

uti colligitur ex *c. Quia verosimile h. t.*

§. VII.

An, & quando Lex fundata in presumptione obliget in foro conscientiae, vel etiam in externo?

Sciens presumptionem, quae contra se stat, quamvis hanc juris sit, uti patet de jure, falsam esse, non tenetur in foro conscientiae ad legis aut sententiae in tali presumptione fundatae observationem, saltem ante sententiam Judicis (quae presumptio cedit veritati) nisi lex non tam in presumptione fraudis, quam in actu intervenientis, sed in genere periculo fraudis fundetur, quamvis in hoc posteriore casu in particulari quo facta cesset fraus omnis, v. g. non tamen cessat in genere periculum fraudis, quod movebat ad legem talem fundam, uti videre est in matrimonio clandestino per Tridentinum irritato. Sententia tamen & auctoritate Judicis appellari potest talis, quamvis pro se veritas habeat, contra se tamen juris presumptionem, ad legis talis aut sententiae contra ipsum latae observationem, cum in externo sententia ex probatione procedat, & consequenter, si veritas probata non sit, probata autem sit presumptio, non illi assistet Judex.

